

sonis tuæ. Hæc est illa domus Jacob de qua Angelus ad virginem loquens, ait: (Luc. 1.) *Et regnabit in domo Jacob in æternum.* Nisi enim de domo illa cœlesti in æternum duratura loqueretur, verum esse non posset quod ait: *Et regnabit in domo Jacob in æternum.* Nam in eo quod æternum non est, ille æternum regnare non posset. Hanc ergo domum Jacob, in qua ipse in æternum regnabit, nunc domum patris sui appellat. Quod autem de hac domo in qua jam regnat, loquatur: & non de illa in qua per membra sua nunc militat, hoc est, Ecclesia ista inferiore, verba quæ sequuntur aperte declarant. *Si quis inquit, (Joann. 14.) dixisset vobis, quia vado parare vobis locum: & si abiero: & paravero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Nullus dubitat locum quem præparare se dicit Christus Apostolis, in cœlo esse, in regno cœlorum: non in terra, in qua præsens, Apostolos relinquebat. Locus ergo ille quem se Apostolis paraturum dicit, ille idem domus est Patris, de quo ait: *In domo Patris mei mansiones multe sunt.* Si ergo domus est regnum cœlorum, quid erit varietas mansionum, nisi varietas præmiorum quæ in illo regno habetur juxta varietatem meritum? Propterea in prioribus epistola ad Corinthios cap. 15. Paulus ait: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificantur: unusquisque autem in suo ordine.* Si unusquisque in suo ordine resurget, diversa ergo erunt merita resurgentium: alioqui si unum est omnium resurgentium meritum, omnes in eodem ordine resurgent, & non unusquisque in suo. Et in eodem loco iterum Paulus ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Sed hunc locum Jovinianus, teste Hieronymo, ita interpretatus est, ut diceret stellam differre à stella, quia spirituales differunt à carnalibus. Carnales ergo juxta Joviniani interpretationem stellæ erunt, & in cœlestibus simul cum spiritualibus erunt. Abiit tamen à fidelium cordibus hæc sententia. Non enim stellarum nomine Paulus totum genus humanum comprehendit, sed solos justos: quoniam peccatores ipsi tenebræ sunt: tantum abest ut aliis lucere possint. De solis ergo justis eum locutum fuisse constat, cum dixit: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ:* ut majores in claritate solis sint, & qui in frequenti gradu sunt, lunæ splendore rutilent. Ac rursum in alio loco: (2. Cor. 9.) *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Vides hic varietatem metentium juxta varietatem seminantium. Seminantes autem hic dicuntur omnes bene operantes, juxta illud Propheta: (Psal. 135.) *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Eunt ibant & stabant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Et illud est manifestum quod Apostoli orantes, dicunt: (Luc. 17.) *Domine adauge nobis fidem.* Si una est omnium fidei mensura, quomodo orant Apostoli augeri suam fidem? Et Christus Salvator noster de Joanne Baptista testimonium ferens, (Matth. 11.) ait: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, sed qui minor est in cœlo, major est illo.* Audis in cœlo minorem, sed ubi minor est, necesse est esse majorem. Similiter de præceptorum suorum adimplentione & transgressione Christus loquens, ait: (Matth. 5.) *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Ubi autem magnus & minimus, oportet ut non omnes eadem

mensura metiantur. Eandem etiam differentiam maximi & minimi per Hieremiam Prophetam explicat cap. 31. dicens: *Bece dies veniunt, dicit Dominus, & seriam domui Israel & domui Jacob fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum fratribus vestris.* Et paucis interjectis subdit: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde scribam illam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non nocebit vir ultra proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: cognosce dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo usque ad maximum.* Ex quorum verborum contextu apertissime cognoscitur, Prophetam de futuro Christi in cœlis regno fuisse locutum: cum tamen de illo loquatur, ait: *Omnes cognoscent me à minimo usque ad maximum.* Si omnes sunt futuri æquales, quomodo ibi erunt maximus & minimus? Rursus, in posteriore ad Corinthios epist. cap. 5. Paulus ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Deinde per Elaiam Prophetam de eunuchis dominus loquens, cap. 56. ait: *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* In quibus verbis apertissime virginem præposuit conjugatis. Nam de illis solis eunuchis loquitur, qui se castraverunt propter regnum cœlorum: quos illis qui in filiis generandis conjugalis vitæ meritum servant, hic præstulit dicens: *Dabo eis nomen melius à filiis & filiabus.* Cum ergo ait, *Dabo eis nomen melius,* ostendit & conjugatis dari in domo sua locum bonum, sed multo inferiorem: & nomen bonum, sed minus quam virginibus. Sed ne quis forte carnalis existimaret ex hac promissione aliquid temporale sperandum, continuo subjicit, *nomen sempiternum dabo eis.* Verum quia hæreticus adhuc elabi poterat, dicens sempiternum hoc loco pro diuturno accipi, sicut ea quæ largissimæ sunt durationis, sempiterna aut æterna dicere solemus: ideo ut omnem rimulam hæretico obstrueret, addidit quod non peribit. Quid ergo amplius Jovinianus querit? Quid serenitati veritatis nebulas suæ perversitatis offundit? Quid in tanta scripturarum luce nebulas unde infidetur inquiri? Sempiternum hoc nomen quod non peribit, quicquid illud est, gloriam certe quamdam excellentem significat, quæ propria spandibus Dei fore promittitur, nec cum aliis qui filios procreaverunt, erit communis. Non ergo omnes in illo regno pariter sunt meriti. Accedit ad hæc quod spiritus illi Angelici non omnes ejusdem sunt conditionis, neque omnes ejusdem sunt meriti. Nam ex his quidam dicuntur Angeli, alii Archangeli, alii Throni, Dominationes, Potestates, Cherubim, & Seraphim. At frustra esset tanta diversitas nominum, si nulla esset diversitas meritum. Si hæc meritum diversitas est in Angelis, cur non eadem reperietur in hominibus: præsertim cum justis hominibus Salvator promittat quod erunt sicut Angeli Dei? (Matth. 22.) Præterea diversitatem peccatorum juxta peccatorum diversitatem apertissime ostendit Salvator, dicens: (Luc. 1.) *Filius qui novit voluntatem Patris, & non fecit secundum illius voluntatem, vapulabit multis. Filius autem qui non novit voluntatem Patris, nec fecit secundum ejus voluntatem, vapulabit paucis.* Vides hic apertum discrimen non quidem justis & peccatoris, sed & peccatoris & peccatoris. Uterque enim peccator: quapropter uterque vapulabit, alter tamen altero durius: nam unus vapulabit paucis, quia levius peccavit: alter autem multis, eo quod gravius deliquit. Cum ergo alius alio gravius puniatur juxta peccatorum suorum varietatem: oportet ut alius etiam

etiam alio juxta meritum suorum diversitatem majori præmio donetur. Sed jam superest ut videamus quid sit illud quo Jovinianus suam tuetur hæresim. Omnibus, inquit, in vinea Domini laborantibus æqua merces fuit data à justo Patrefamilias: unus quæque denarius. Quidam enim ex illis ab hora diei prima usque ad ultimam laborarunt, alii autem sola una hora fecerant: in mercedis autem receptione omnes pares sunt facti: quoniam omnes unum duntaxat denarium receperunt. (Matth. 20.) Huic objectioni respondet beatus Augustinus in libro de sancta virginitate, capite viceesimo sexto, per hæc verba: *Quid nūquæ denarius ille aliud significat, nisi quod omnes communiter habebunt? sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cœlorum, ubi erunt omnes quos Deus prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit.* Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hic est ille denarius merces omnium. *Stella tamen à stella differt in gloria. Sic & resurrectio mortuorum.* Hæc sunt merita diversa sanctorum. Si enim cœlum significaretur illo denario, nonne in cœlo esse, omnibus est commune syderibus? & tamen alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum. Si denarius ille pro sanitate corporum poneretur, nonne cum recte valeamus, omnibus membris communis est sanitas: & ipsa usque in morte permaneat, pariter & qualiter omnibus inest? Et tamen posuit Deus membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit, ut nec totum sit oculus, nec totum odoratus: & quicquid est aliud, habet suam proprietatem, quamvis æqualiter habeat cum omnibus sanitate. Ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis æqualis, denarius omnibus attributus est: quia vero in ipsa vita æterna distinguuntur te fulgebunt lumina meritum, multe sunt mansiones apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non vivet alius prolixius, in multis autem mansionibus honoratur lumina alio clarior. "Hactenus Augustinus. Alia adhuc multa nobis objicit Jovinianus. Verum hæc tam frivola sunt, & tam parvi momenti, ut illa recensere pigeat, & illis responderet dedignemur. Si quis tamen ea scire desiderat, legat beati Hieronymi librum secundum adversus Jovinianum, quoniam eo loco ille omnes Joviniani nœnias irridet, & illis respondet. Sed jam opus est ut Ecclesiæ de hac re definitionem audiamus. Concilium Thelense auctoritate Syricii Papæ in Africa celebratum, sic ait: *Agrestis enim ululatus est, nullam virginitatis gratiam nullam castitatis ordinem reservare, promissæ omnia velle confundere, diversorum graduum abrogare meritum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere: quasi Christo una sit palma quam tribuit, ac non plurimi abundant tituli præmiorum.* Hæc Concilium Thelense. Eandem sententiam docet Concilium Florentinum sub Eugenio. 4. celebratum. Nam in illis verbis quæ ex Concilio Florentino ad consulationem proximæ præcedentis, hoc est, sextæ hæreses supra citavimus, postquam dixit sanctorum animas jam ante diem judicii clare Deum videre sicuti est, statim subjungit, pro meritum tamen diversitate alium alio perfectius. Et illos qui ad infernum descendunt, dicit penus disparibus puniri. Adversus Jovinianum scriptis beati Hieronymus duos libros: & in 2. adversus hanc hæresim disputat. Beatus Augustinus in libro de sancta virginitate adversus eundem errorem disputat. Alios non vidi.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

X

Y

Z

AA

BB

CC

DD

EE

FF

GG

DE hac re fuit unus error Manichæorum dicitur nullo pacto licere gerere bellum: atque ob hanc causam (ut testatur Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 74.) reprehendit Moysen, quod bella gesserit. Hunc errorem velut jam sepultum, ab inferis suscitavit hoc nostro ævo Joannes Oecolampadius: qui in hoc à Manichæis differt, quod Moysen belligerantem non reprehendunt: quoniam eo tempore Dei aut justia aut permissione licebat bellare. Nunc autem Christo (ut ait) bellum prohibente, jam non licet Christianis ullo pacto bellare. Eandem sententiam docet Cornelius Agrippa in lib. de vanitate scientiarum. Nam de scientia artis militaris differens, postea quam illam multis injuriis læcessivit, & scœmatis affecit, hæc ait: *Atque nihilominus laudavit eam divinus ille Plato, ipseque August. & Bernardus Catholici in Ecclesia doctores, hanc alicubi probaverunt, & Pontificia Decreta illam non improbant, licet Christus & Apostoli longe aliter sentiant.* Tandem vel repugnare Christo non infimum in Ecclesia gradum obtinuit. Hæc Agrippa. In quibus verbis aperte docet Christum prohibuisse bellum. Contra Manichæorum sententiam qua reprehendunt Moysen bellantem, pigeat disputare: cum ex scripturæ testimonio pateat Moysen ex præcepto domini bellasse contra nationes barbaras & infideles. Aut ergo Deum etiam reprehendant, aut Moysi bellanti calumniari desinant. Si longiore de hac re disputationem optas, lege B. August. contra Faustum lib. 22. cap. 74. & per alia quatuor sequentia capitula. De reliquo autem in quo Oecolampadius & Agrippa assentiunt Manichæis arcentibus homines ab omni bellorum genere, opus est ut diligenter inquiramus. Lucas enarrans Joannem in deserto prædicantem & baptizantem cap. 3. ait: *Interrogabant autem eum & milites, dicientes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutatis, neque calumniari faciat, & contenti estote stipendiis vestris.* Si autem bellum esset prois illicitum, respondere debuisset beatus Joannes: *Arma adjicite, malitiam istam deserite, neminem percutite, neminem vulnerate.* Cum autem nihil eorum dixerit, sed calumniam prohibuerit, & ut suis stipendiis contenti forent, præcepit: eo ipso visus est bellum approbare. Præterea cum Centurio Christo diceret: (Matth. 8.) *Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alii veni, & venit: & servo meo fac hoc, & facit.* Christus hæc audiens, fidem Centurionis laudavit: militiæ vero desertionem non imperavit: imperatorum autem si bellum nullo pacto liceret. Rursum, Herodianis quærentibus utrum liceret censum dari Cæsari, respondit Christus, (Matth. 22.) *Reddite quæ sunt Cæsari, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* Hac autem de causa tributa redduntur, ut inde militi ad pacis conservationem necessario, stipendium solvatur. Sic enim ait Paulus (Rom. 13.) cum de obedientia principi præstanda dixerit: *Idcirco necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Idcirco enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Idcirco si nullo pacto bellare licet, sequeretur inde quod peccatorem sceleratum se à jūdice defendentem, ut ab eo non capiatur ad punitionem, si judex invadat ut capiat & puniat, male ager. Hoc autem fateri, esset nimis absurdum, & totius humani convictus destructivum, & sacræ literis apertissime*

contrarium. Beatus enim Paulus in ea quæ ad Rom. est epist. cap. 13. ait: *Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: & parum infra: Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Quæ autem pro se adferunt, parum propositum suum confirmant. Primo quidem obijciunt id quod Dominus apud Matth. ait, cap. 5.: *Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram.* Huic enim objectioni August. responderet illud non esse operis præceptum, sed affectus: ut videlicet animus noster ita patienter toleret unius maxillæ percussione, ut paratus sit, si in alia iterum percuteretur, patienter etiam ferre. Potest etiam aliter responderi. Quid enim obstat eandem objectionem duplici modo rejicere? Potest enim, & non immerito dici, illam Salvatoris sententiam non pertinere ad præceptorum numerum, sed esse inter consilia connumerandam. Quod autem ita sit, ex immediate sequentibus facile censeatur potest, quoniam quæ immediate sequuntur, nullo modo ad præceptorum numerum spectare videntur, sed ad consilia, ut sunt illa: *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & palium. Et quicumque angariaverit te mille passus, vade cum illo, & alia duo.* Quæ duo, nullus nisi mentis inops contendet esse præcepta, sed solum consilia viris perfectis data. Si ergo consilium est illud, inde convincitur dictum illud nullo modo Manichæorum sententiæ favere. Secundo obijciunt, virum Christianum debere præliari orationibus, & precibus ad Deum fufis, ut Deus illorum miseretur, & injuriam illis illatam ab eis repellat, & offendentes à sua mala intentione revocet. Cui objectioni respondemus concedentes, justum bellatorem debere orationibus ad Deum emissis præliari: quoniam (ut dicitur in 1. Macha. lib. cap. 4.) *non in multitudine exercitus victoria belli, sed de celo fortitudo est.* Nec tamen ideo abstinendum est à bello, & in universum rejicienda sunt arma, quoniam Moyse orante in monte, Amalech vincitur gladio Josue.

Secunda hæresis est Martini Lutheri: & nescio an paulo mitior, vel potius durior, aut atrocior quam præcedens, dicenda sit. Is namque ait, non licere Christianis bellare in turcas, quoniam (ut dicit) est repugnare voluntati Dei visitanti, & corrigenti iniquitates nostras per illos. Itaque Lutherus non ab omni bello arceat Christianos, sed à bello in Turcas gerendo, qua in re videtur mihi durior hæc quam Manichæorum sententia. Si enim Christiano licet adversus Christianum pugnare, qui sit ut adversus Turcam non liceat? In bello namque ut justum sit, causa potissimum exploranda est, à qua belli justitia pendet: quod si eadem causa, & multo urgentior est in bello adversus Turcam, quam in bello adversus Christianum, sequitur inde ut justius sit bellum quod in Turcam movetur, quam id quod adversus quemlibet Christianum geritur. Causa autem propter quam princeps movere potest bellum, est ut inde pax perfecta habeatur. Unde Augustinus in epist. ad Bonifacium comitem, ait: „ Non queritur pax ut bellum exerceatur, sed bellum geritur ut pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnans, ad pacis utilitatem vincendo perducas.“ Hæc Augustinus. At pacem nihil magis conservat, & fovet quam justitia, & nihil magis perturbat, quam injustitia. *Justitia* (inquit Propheta Psal. 84.) *& pax osculata sunt.* Causa ergo propter quam

quis potest juste bellare, est justitiæ exequutio, & illius conservatio. Quo fit, ut si quis te occidere, aut percute- re injuste velit, tu juste possis ei obviare: & si quis per vim, & violentiam res tuas vellet à te rapere, tu juste possis illi resistere: & si forte jam surripuit, aut clanculo, aut alio quovis modo, & non patet alia via recuperandi nisi bello, tu juste potes movere bellum ut recuperes: modo in te sit auctoritas, & potestas bellum congregandi. Non enim ad quemvis spectat exercitum cogere, & bellum inire: sed, ut ait Augustinus contra Faustum, hoc est, solius principis munus. Cum ergo eadem sit causa adversus Turcam inveniendi bellum, & auctoritas, & potestas in Imperatore, & aliis Regibus Christianis non desit, sequitur ut æque justum, immo & multo justius possit adversus eos bellum moveri quam adversus Christianos, cum multo justior illic sit causa quam hic. Si enim Christianus Christianum invadit ut cadat, ut spoliat, & ob hoc alter juste resistit, nonne Turca Christianos invadit ut occidat, & spoliat? immo certe ut multo pejora agat: ut videlicet eos fidem negare cogat, & Christo, & ejus Evangelio renuntiare, ut nomen Christianum, si possit, ex orbe deleat. Nonne hæc pejora sunt? Si ob recuperandum patrimonium ab alio Christiano raptum, licet eum aggredi bello: cur non licebit etiam adversus Turcam pugnare, qui tor civitates, & oppida, ne dicam regna, & imperium à Christianis rapuit cum magno eorum dedecore, & maxima illata injuria? Si ergo adversus aliquem præliari licet, licere autem jam supra ostendimus, adversus nullum æque licebit, ut adversus Turcam. Machabæus pugnat adversus Antiochum, & alios Reges infideles pro religione, & fide, & cæremoniis, & in hoc factio laudatur. Cur non etiam laudabitur Christianus pugnans adversus Turcam pro fide, & religione? De hac re plurimæ extant Ecclesiæ definitiones, non per verba quæ docuit, sed per opera quæ exercuit, quibus nos verius exemplo quam verbo imitavimus. In Concilio siquidem apud Clarum montem sub Urbano secundo celebrato decretum est ut bellum adversus Turcas, fieret, in quo misit Urbanus profect. Post cujus mortem Paschalis secundus succedens (ut testatur Platina) bello cæpto favit. Calixtus quoque secundus habito Laterani nongentorum Patrum Concilio, ex eorum assensu decrevit, ut primo quoque tempore supplementa militiæ jam deficientis, Christianis in Asia bellum gerentibus subministrarentur. Qua spe (ut idem Platina scribit) erectus Balduinus Hierosolymorum Rex, Gazim Regem Turcarum minorem Asiam incolentium bello superavit, & in vincula conjecit. Lucius etiam tertius (eodem Platina teste) habito Veronæ Concilio Principes Christianos adhortatus est, ut Christianis pro fide in Asia laborantibus subveniretur. Quid ergo Lutherus contra tor testimonia verborum, & exemplorum præsumit docere, non licere Christianis bellum in- ferre Turcis? Certe, ut conjicere valeo ex ejus vita, & operibus mundo notis, hæc sententia se inimicum esse Christi, & diaboli ministrum declaravit: quoniam hæc docens, visus est velle nomen Christianum funditus delere: quoniam nisi Christiani Turcas bucuque restitissent, jam actum esset de re christiana. Sed gratias Deo, qui melius suo populo consuluit, quam Lutherus optasse videtur. Jam videamus quo argumento suam sententiam confirmet: quia videlicet (inquit) sic adversus Turcas bellare, est resistere Deo, visipienti iniquitates nostras per illos. O fortem argumentatorem. Tu ne es ille

Lu-

Lutheri, qui scholasticos theologos irrides, eos sophistas appellans? Nonne tu hic sophistam merum agis? Quænam obsecro est ista collectio: Deus visitat iniquitates nostras per bellum quod à Turcis contra nos geritur: ergo non licet Turcis resistere? Ad hunc modum non liceat nobis ullam provisionem facere contra famem, ullam medicinam sumere contra morbos, ullum antidotum percipere contra pestem. Per hæc enim omnia Deus etiam visitat iniquitates nostras. Tamen etsi visitet, non inhibet, ut remedio aliquo adhibito illis obviamus. Ita etiam etsi Deus visitet iniquitates nostras per Turcas, non tamen inhibet defensionem. Ita enim Deus visitat suos, ut non derelinquat. Misericordia namque quam erga nos semper exercet, exaltat judicium illius. *Visitabo*, inquit, *in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* (Psalm. 88.) Contra hunc errorem scripsit Joannes Rossensis Episcopus in eo opere quod contra captivitatem Babylonicam Lutheri edidit, toto uno integro articulo, videlicet trigesimo quarto. Scripsit etiam ante septuaginta annos Dionysius Rikel Carthusianus libellum quemdam de bello Turcis inferendo, in quo suadet bellum Turcis debere fieri.

## BENEDICTIO.

Omnes benedictiones quas Ecclesia facit, aut dicit super vinum, panem, aquam, oleum, sal, ceream, incensum, arbores olivarum, & palmarum, vestimenta, calices, aut alias quascumque res ad usum Ecclesiasticarum rerum necessarias, impii Vvaldenses pro sua solita temeritate, & impietate irridunt, & substant, dicentes illas omnes nullius esse momenti. Hos Vvaldenses hic (ut alibi semper) imitantur Vvicephistæ: qui (ut parentum suorum insaniam auferent) dicunt tales benedictiones esse veram practicam necro-

## FINIS TERTII LIBRI.

F. ALFONSI DE CASTRO  
ZAMOREN. MINORITÆ.  
ADVERSUS HÆRESES.  
LIBER QUARTUS.  
CALCEAMENTUM.

Hæc re unam hæresim citant Philaster, & Augustinus, quæ docet non licere homini calceamenta portare. Hujus autem erroris nullum assignant patronum: eam tamen tenentes, ab opere ipso discalceati sunt nominati. Verum hic admonere oportet, hos non damnari velut hæreticos, quia calceamentis non utuntur, sed ideo dam-

Tom. I.

nantur, quia credunt non licere illis uti. Calceamentis namque carere, & discalceatos incedere, bonum est & meritorium, tantum abest ut sit hæreticum. Nudis siquidem pedibus ambulans affligit carnem suam, & corpus castigat, ne anima resistat, sed obsequatur, ut decet. At carnis macerationem quis dubitat esse bonam? Bonum est ergo, & utile nudis pedibus incedere. Qua-

## BESTIÆ, ET BRUTUM.

DE hac re unam dumtaxat reperio hæresim, eamque à solo Philastro citaram, quæ asserit bestias omnes rationis esse capaces, omniaque bruta animalia, æque ut hominem, non solum sentire, verumetiam intelligere. Hanc hæresim Philaster tribuit Gnosticis, & Manichæis. August. autem in lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, de Gnosticis, & de Manichæis cum disserit, numquam hunc errorem illis impingit, nec Irenæus multo vetustior August. & Philastro, libro primo de hæresibus, cap. trigesimo quarto recensens Gnosticorum errores, unquam hujus erroris meminit. Sit autem hæc Gnosticorum sententia, aut Manichæorum, aut secus res se habeat, non multum curo, cum certum sit talem asseritionem esse erroneam, & sacris litteris apertissime contrariam. *Nolite* (inquit Propheta Psalm. 31.) *feri sicut equus, & mulus quibus non est intellectus.* Falsum est ergo omnia bruta esse rationis capacia. Et idem Propheta iterum ait: (Psalm. 43.) *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* In quo autem similis factus sit, declaravit cum dixit, eum non intellexisse. Per hoc enim quod non intellexit, assimilatus est jumentis, quoniam illa non intelligunt. Si bruta intelligunt, in quo quæso assimilatus est jumentis, cum honorem in quo eum Deus constituit, non agnovit? Ex his ergo duobus scripturæ sacre testimoniis apertissime convincimus bestias non esse rationis capaces.

Gg

prop-